

Applicatio bona domini ascendentis cum domino tertiæ, fratrum concordiam & amorem significat. Si ex opposito, prædic odij inter eos multitudinem. Si coniuncti fuerint, dicitur amicitia & concordia stabilitatem. Idem de domino partis fratrum iudica.

Quando pars fratrum fuerit cum domino partis fortunæ, significat discordiam fratrum, & quod alter alteri tendet insidias, & sese mutuo decipient. Sed quando isti duo domini bene se aspiciunt, pacificè res eorum componentur.

Si dominus ascendentis aspicit Martem dominum tertiæ ex trino cum receptione, significat quod natus consentiet cum fratribus, quamuis inter eius fratres fuerit discordia, quod bene notabis. Nam dominus ascendentis significat natum cui facis iudicium, & ea ratione ipse cum fratribus concordiam & mutuam beneuolentiam conseruabit.


Pars fratrum & eius dominus significant esse fratrum & concordiam eorum, Si fuerint in signis multorum filiorum, significant multos fratres, in paucorum, paucos.

Alij dicunt Mercurium & Martem esse significatores fratrum, & Lunam sororum, de quibus iudicant secundum ipsorum conuenientiam & fortitudinem.

Primus dominus triplicitatis domus tertiæ, significat fratres maiores.  
Secundus medios.

Tertius minores. Ex ipsorum igitur esse, fratrum qualitas & fortuna discitur, hoc est, ex eorum applicatione ad planetas existentes in bonis locis, prout foelicibus uel infelicibus stellis adiuncti fuerint.

Exemplum genituræ propositæ



Conclusio